

judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi desipuerint, quia majores nominantur.

VI. Hisce verò planè similia allegat idem Vossius alleg. cap. §. 4. è Ciceronis Lib. I. de Nat. Deorum, quæ ibi videantur. Nos alium isti è Lib. IV. Tuscul. Quæst. adjungimus locum hæc exhibentem: *Sed defendat quidem quod quisq; sentit; Sunt enim judicia libera: nos institutum tenebimus, nullusq; unius disciplina legibus adstricti, quibus in Philosophia necessario pareamus, quid sit in quaq; re maximè probabile, semper requiremus.* Eandem planè mentem fuisse Sapiientissimo Senecæ legentibus ejus scripta ignotum esse non potest. *Nunquam invenietur (scribit ad Lucil. suum Epist. 33.) si contenti fuerimus inventis. Præterea qui alium sequitur, nihil sequitur, nihil invenit, imò nec querit. Quid ergò? non ibo per priorum vestigia? Ego verò viâ utar veteri: sed si priorem planioremq; invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non Domini nostri, sed Duces sunt. Patet omnibus veritas, nondum est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est. Et Ep. 45. ad eundem hæc habet: Libros meos tibi mitto. --- Tu illos lege sic, tanquam verum quæram adhuc, non sciam, & contumaciter quæram. Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero. Multum magnorum Virorum judicio credo, aliquid & meo vendico. Nam illi quoq; non inventa, sed quærenda nobis reliquerunt: & invenissent forsitan necessaria, nisi & superflua quæsvissent.* Conf. Ep. 64. 80. &c.

VII. Jam si recentiorum etiam quorundam exempla intueri & audire testimonia placuerit, FRANCISCUS BACON DE VERULAMIO, uti re ipsâ Eclecticum ubiq; egit, ita & passim alibi, & imprimis Lib. III. de Augment. Scient. cap. IV. p. m. 88, non abs re fore, monet, in antiquiorum Philosophorum placita, qualia fuerunt Pythagoræ, Philolai, Xenophanis, Anaxagoræ, Parmenidis, Leucippi, Democriti (quæ homines con-

temptim